



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Quo loco, ex re accepta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Si per se voluntas Domini, ut res restituenda
suis consanguineis, Patri, Matri, Filiis, &c. multo
magis si pauperes sint, ipsis dandam rem esse, nemo
dubitat, ut diximus.

Quo loco, ex re accepta.

Si restitutio faciendi est solum ex re accepta bona
v.g. quia habui equum, gemmam, vestes, quæ deinde
perierunt, si bos alterius ad meum præsepe con-
ductus est, &c. Profecto sufficit, si ea restitutio fiat in loco,
in quo Dominus sit transmittenda, Domini expensis trans-
mittenda erit, Ita Navarr. Mol. Rebell. Less. Regin. Val-
de. alique citati à Dicast. lib. 2. de inst. tract. 2. disp. 11.
§. 1. Ratio est, quia secus ego paterer damnum
meum, si culpa, tunc enim Dominus ius habet in rem
mea, non verò in me.

Adverte hic tria; Primum, mihi esse compen-
sandas expensas, alioquin ex re ipsa extrahendas, si quæ
ad sustinendum, verbi g. equum, idque
ad contractum, qui dicitur ex negotiis bene gestis.
Secundò, multum expedit, si Dominus admonetur, &
res inter amicum custodiatur: nam si superfluas expen-
sas sine rationabili voluntate Domini facias, illas amit-
tere, ut si equum, v.g. transmitters cum majoribus
expensis, quam equus valeat, si sine mortali custodia,
ut si modo tunc si ob negligentem custodiam cum culpa
perierit equus, tenebris ad damni restitutionem,
et nulla damnificatione, Tertiò, si res transmitti ad
Dominum non potest, nec admoneri, nec expectari,
ut de pauperibus, vel ului sit Bulla compositionis
inter modum iamiam num. 5. dictum. Nec tamen vide-
tur improbabile, posse retineri apud se, quia tunc res
comparatur rei habenti Dominum ignotum, iuxta dicta
num. 11.

Quo loco, ex contractu.

Si restitutio faciendi ex contractu, & ex iusta
exceptione, distinctione opus habemus. Legatur Dicast.
lib. 1. Less. Valg. Reginald. ab eodem citati. Vel enim
restitutio est eadem numero, seu, ut loquuntur Iuris-
consulti, eadem res in specie, v.g. equus locatus, com-
modatus, depositus, vel restituendum est aliquid equi-
valens, v.g. emisti equum, debes pretium, vendidisti
recepto pretio frumentum, debes frumentum pretio rece-
pto æquivalens, accepisti prædium, debes censum, &c.
de utroque separatim.

Quoad primum: Asserit, debere restitui in eo loco, quo
conventum est, vel in eo loco, quem natura iniri contra-
ctus requirit. Verbi gratia, si in contractu locationis equi
appositum sit, ut hic equum restituas, hic debes, si ut re-
stituas Catanæ, quod pergis, illic debes, &c. At verò si
nulla conventio facta est, tunc debet respici natura con-
tractus, hoc est; an primò contractus, quem facis, sit so-
lum in utilitatem alterius contrahentis: Secundò, an so-
lum in tuam; Tertiò, in utriusque.

Si enim acciderit primum, si, v. g. habes depositum
solum in utilitatem solius Domini, ibi bona fide, id est,
sine fraude, & dolo debes restituere, ubi tu existis. Quod
si alio res transmittenda sit, fiat expensis, & periculo Do-
mini, modo non pereat ex tua gravi culpa. Ratio est,
quia locus tu pateris damnum, sine ullo Domini iore
contra te.

Si habes depositum solum in utilitatem tuam, te-
neris tuis expensis restituere in eo loco, ubi bona fide
habuisti Dominus, si tibi non commodasset, modo per-
te haberet, ne Dominus, secum rem suam transfunderet, de-
ducitis tamen expensis, quas fecisset Dominus. Ratio est,
quia Dominus non debet pari damnum ex gratuito com-
modato, & ex alia parte non debet, nec ille lucrari, nec
perdere sine tua culpa, ex mero commodato, quod est
ex te gratuitum.

Denique, si rem habes in utilitatem utriusque, ut
in locatione equi, in qua & tu equi usum, & locans pre-
tium habet: tunc in casu, de quo loquimur, quando nulla
facta est conventio, videris primò aspectu, teneri tuis ex-
pensis, ne Dominus sine culpa lædatur: poro tamen, ex-
pensis utriusque; quia retorqueo argumentum, si enim
tuis expensis, tu lædereris sine tua culpa. Dividuntur er-
go æqualiter expensæ, sicut æquale est commodum. Im-
mo addo, non raro debere solis expensis Domini, quan-
do scilicet Domini negligentia non fuit admonitus con-
ductor de loco, ubi restitutio faciendi esset, ipse enim,
suo communiter usurpato iure, utens, ibi restituit, ubi
rem locatam recepit. Excipe, nisi sit recepta consuetudo,
ut alibi restituatur: ita in aliquibus locis equi locati ad
iter faciendum, restitui solent in locis, ad quos equitan-
do pervenitur, &c.

Quoad posterius, quando ex contractu debet resti-
tui res æquivalens iuxta divisionem factam n. 8. Dico de-
bere pari modo restitui secundum conventionem con-
trahentium, sive expresse, sive tacite in contractu pos-
itam; At si nulla sit appositio conditio, regulariter fieri
debet restitutio, seu solutio, ubi tradita res fuit, & recep-
ta, v.g. hic vendidisti, hic locasti equum, hic solve pre-
tium, id enim videtur postulare æquitas: idque æqualitas
inducenda inter contrahentes. Quod si hic Panormi sub
conditione numerata pecunie locos Domum Catanæ
existentem, hic debebis, quia illud (numerata pecunia) id
tacite, ne dicam expresse, importat, &c.

Ex quo vides, tum pro hac postrema doctrina,
tum pro præcedenti, maxime ex circumstantiis decerni
debere in tota hac materia locum, ubi sit restituendum
id, quod nos nunc innuimus sub nomine tacite, vel ex-
presse conventionis, & paulò superius sub nomine natu-
ræ contractus, in quo nunciam tacite imbibitur aliquan-
do vel expresse loci determinatio.

Hinc primò: Si in via tibi do mutuos decem au-
reos, certò non in via, sed ubi tunc ego proxime, immò
etiam longè habito, reddere debebis. Ita Bonacina loco
citato, num. 9. quod tandem concedit de Lugo loco citato
num. 104. quia ex natura mutui, quod est in utilitatem solius
mutuatarii, colligimus, Dominum rem suam habere de-
bere sine expensis: quia nisi expresse quid in contrarium
sit conventum, non est æquum, ut ego ex beneficio tibi
collato damnum patiar.

Quid, si mas, vel vendas in via, dilato pretio, vel res
quid, si vendas rem existentem in loco distanti, v. gratia,
dolum vini existens in tuo prædio? Respondeo, in his
casibus semper solere constitui in praxi locum solutio-
nis: quod si per incertam non constituitur, ad tacitas,
consuetasque in ea regione conventiones, modo paulò
antè dicto, erit recurrendum.

Hinc secundò: Si tibi promittam dare liberaliter
post annum equum, & ego ante annum domicilium mu-
tare cogar, certè sufficienter tibi satisfaciam, si equum
ibidem dem, ubi bona fide invenior. Ita Dicastill. lib. 2.
tract. 2. d. 11. d. 9. num. 118. quia ex circumstantiis his
peculiaribus, quod hæc sit donatio merè liberalis, quod-
que ego non consulto, ut effugiam ab equo donando,
sed bona fide peregrè abierim, colligitur, non aliter me
promississe.

Hinc tertiò: Censui reales, super rebus stabilibus
debitis, verbi gratia, super prædio, domo, feudo, &c.
(nisi expresse conventum aliter fuerit) solvi debent in
loco, ubi sunt res hypothecate: est enim census; quasi
pars fructuum rei. Idem de pensione Beneficij, ibi enim
debet solvi, ubi est beneficium licet sciam sæpissime
conveniri expresse, ut solutio exhibeatur, ubi degit Pen-
sionarius. Idem de legatis: debent enim dari, ubi hæres
hereditatem adiit, nisi aliter ex intentione Testatoris
colligatur, si quidem legata sunt pari modo partes extra-
ctæ ab hereditate.

In omnibus prædictis, quando res ad Dominum longè
distantem transferenda est, cui pereat, si pereat in via, di-
ximus §. 5. num. 3.